



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

De sponte venientibus in tempore grati[a]e & crime[n] suu[m] Inquisitori  
prudentib.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

Forma secunda pro eodem.

**N**os frater N. ordinis Prædicatorum in domino talis domini, Inquisitor hereticæ prauitatis a sancta sede Apostolica specialiter delegatus, totis nostris affectibus inhiantes, omnibus nostris præcordijs affectantes populi Christianum in vnitare, & sinceritate catholice fidei conseruari, ac ab omni peste prauitatis hereticæ visceraliter elongari: Idecirco nos frater N. Inquisitor præfatus, cui ex iniuncto nobis officio, hæc incumbunt, ad gloriam, & honoré recolendi nominis Iesu Christi, & ad exaltationem sanctæ fidei orthodoxæ, atque ad depressionem hereticæ prauitatis: vniuersis, & singulis cuiuscunque gradus, conditionis, status, ordinis, religionis, ac dignitatis existat, qui sunt infra terminos huius ciuitatis talis, ac talis, aut circa illam ad duas leucas, ad quorum notitiam nostra peruenerint hæc madata, auctoritate Apostolica, ac iniuncti sancti nobis officij, qua fungimur in hac parte, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna præcipimus, & mādamus, ac mādando requirimus, & monemus, quatenus infra duodecim dies proxime computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor immediatos pro secundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus, vt nobis reuelent, si sciunt, viderunt vel audierunt aliquam personam esse hereticam, diffamatam de heresi, vel suspectam, aut peruersam sapiētem de articulis fidei, seu ecclesiasticis sacramentis, ac alias a comuni conuersatione fidelium vita, & moribus dissidentē, & in speciali talem heresim, nūc vigentem, defendere, approbare, vel alias dogmatizare, ponatur que est illa, vel ille: alias si nostris, immo verius Apostolicis antefatis monitis, & mandatis non paruierint cum effectu præmissa infra prætaxatum terminum reuelando seiat se excommunicationis sententiam in omnes, & singulos taliter, vt prædicitur, contumaces, præfata nostra monitione canonica præeunte, & eorum inobedientia requirete; nūc vt ex tūc, & tūc ut ex nūc, ferimus in his scriptis: absolutionē harum sententiarum nobis, & domino nostro Papæ tantummodo referuando. Datum &c.

Post publicationem edicti quid facere debeat Inquisitor.

**Q**VA sententia vel simili in effectu in vulgari promulgata, Inquisitor habet facere tria. Primum est, sententiam antedictam breuiter explicare ad certa puncta eam redeundo, ut melius populi memorię infigatur: dicēdo hæc vel similia in effectu. Ista sententia stat in trib. punctis. Primum est generalis: vt si scitis aliquem hereticum vel de heresi suspectum seu diffamatam, quod reuelatis eū nobis. Secundus est spe-

**A** cialis: vt reuelatis si scitis aliquem dogmatizare errorem de proprio vel communi, seu talē. Tertius est singularis: vt si scitis aliquem tenentē libros heresum, seu dæmonum inuocationum.

Secundum, quod habet facere Inquisitor est indulgentias promulgare dicendo: Auctoritate domini nostri Papæ, ego conféro cui libet vestrum, qui venistis ad sermonem istum, indulgentiam quadraginta dierum. Et idem dominus noster Papa dat tres annos de indulgentia omnibus, qui præfuerint in officio meo, & ad hereticos reducendos, consilium, auxilium, vel fauorē: quare iste qui legit sententiā antedictā, habet tres annos.

**B** Et quicumque reuelauerit mihi aliquem hereticum vel diffamatam de heresi, vel suspectum, seu alias in causa fidei perhibebit coram me verum testimonium, habebit alios tres annos de indulgentia, quare sitis diligentes, vt habeatis. De istis indulgentijs cōstat in privilegio Urbani IIII. quod incipit: Præ cunctis. quod privilegium supra est insertum.

Tertium, quod habet facere tūc Inquisitor, est, tempus assignare gratiæ, dicendo sic: Et ego auctoritate Apostolica de gratia speciali assigno omnibus hereticis, eredentibus, fautoribus, receptoribus, & defensoribus hereticorum, ac de heresi diffamatis vel suspectis, si qui sunt in tota ista diœcesis, totum mensem immediate sequentem, seu tantum tempus, infra quod libere veniāt ad me, nec expectent se denuntiari, ac cusari vel capi: infra quod tempus gratiæ si libere, & spontanea volūate ad me venerint, & reatum suum reuelauerint, & veniā petiuerint, magnam veniam, & misericordiam consequentur. Si autem expectauerint quod accusentur, denuntientur, citentur, vel capiantur, vel tempus gratiæ trāsire permiserint, & post venerint, tantæ gratiæ non erunt digni: quare veniant infra tempus gratiæ assignatum.

**D** Quibus peractis poterit Inquisitor præfatas suas sententias admonitorias attingi facere in valuis Ecclesię dictæ cathedralis, vt ab omnibus possint legi.

Quibus duobus terminis assignatis, vno hereticis eredentibus, defensoribus, &c. in speciali: alio omnibus ad denuntiandum, si sciuerint aliquem hereticum, vel diffamatam generaliter, &c. spectet ipse Inquisitor, & attendat, quod nō discursat, sed in domo (vt in pluribus) personaliter persistat, vt ibi inueniatur si veniunt hi, vel illi.

De sponte uenientibus in tempore gratiæ, & crimen suum Inquisitori prodentibus.

**Q**UOD si infra terminum assignatum hereticis eredentibus, fautoribus, &c. quod tempus gratis a doctoribus nominatur, aliqui ad dictum Inquisitorem accesserint, qui dicant, & recognoscant se in aliquā heresim incidisse, ille credidisse vel hereticis fauorē præstitisse, ne ad manus peruenirent Inquisitorum, & similia: circa istos, qui non

55 Promulgāda indulgentiæ.

56 Tempus gratiæ assignandum sponte uenientibus.

tal. gratiam.

57

Spōte uenientes mitius tractandi.

non

non sunt accusati, nec denunciati, nec citati, seu voluntarie aduenerunt, & errorem suum detexerunt, infra terminum eis assignatum, debet Inquisitor mitius se habere.

Attendant tamen Inquisitor taliter venientes, qualiter velint detegere errorem suum. Nam si volunt detegere tantum in foro penitentiali per modum confessionis sacramentalis, Inquisitor non admittat, nec confessiones eorum audiat: non enim Inquisitores, ut Inquisitores, sunt iudices in foro penitentiali, & interiori, sed iudiciali, & exteriori: unde ad confessiones sacramentales libenter accedere non debet, ne inquisitionis officium deludatur, & sacramentum penitentiae contemnatur, & ipse Inquisitor audiens tales confessiones sacramentales scandalizetur. Nam si Inquisitor audiat aliquem in confessione sacramentali, & ille confiteatur, quod tanto tempore in tali errore persistit, & illo multos in peccatis denuntiatur seu accusatur Inquisitori, & ille iudicialiter inquiri, factum detegitur, ille citatur, medio iuramento interrogatur, & imponit Inquisitori, quod secretum confessionis reuelauit, & eundem & sacramentum penitentiae scandalizabit: frequenter enim repertum est (& qui vidit, & comperit scit, quia verum dicit) quod tales dubitantes, & timentes ne praeueniantur per Inquisitorem, per se veniunt, & audiunt in confessione sacramentali per Inquisitorem petunt, ne sic confessi possint detegi, nec puniri, quare confessiones sacramentales talium non sunt ab Inquisitoribus admittenda: detegant ergo crimen suum, & errorem coram Inquisitore in foro iudiciali.

Inquisitor est iudex in foro exteriori non in interiori.

salutis.

De crimine profus occulto non est iudicialis confessio sumenda.

Iuridice accipiendus est confessio criminis alijs manifesti.

Quo crimine detecto, si videat Inquisitor eundem iam praeventum, hoc est, alias sibi denuntiatum vel accusatum, procedat ad audiendam confessionem suam iudicialiter cum notario, & testibus, & procedat in causa, ut ordo postulat rationis, sed semper eundem mitius se habendo, quia venit non vocatus.

Si autem Inquisitor non videat eundem praeventum utpote quia alias non fuerat ei delatus, nec actum fuerat contra eum, inquirat diligenter cum eo si factum totaliter est secretum: utpote, quia dubitauit aliquando de sacramento Eucharistiae, vel simili, & ad finem aliquando credidit sacramentum huiusmodi nihil esse, & aliquando tempore in hoc persistit, tamen nulli se reuelauit, nec aliquem in fecit: & tunc si totaliter est secretum, non procedat ad iudicalem confessionem recipiendam, sed secrete absoluat eum iniuncta sibi aliqua penitentia salutari, indicendo, quod stet firmiter in catholica credentia, & repellat tales tentationes, &c.

Si autem comperiat factum non esse secretum, immo ille detegit non solum male credidisse, sed etiam se alijs suam peruersam credentiam reuelasse, & alios in fecisse, tunc Inquisitor descendat ad confessionem suam iudicialiter recipiendam, & informet se plenius cum illis, quibus se reuelauit, quos in fecit, & procedat in causa iuxta canonicas sanctiones, semper mitius se habendo erga eum, quia venit per se non vocatus, & infra tempus gratiae.

Postquam Inquisitores haeretica prauitatis ciuitate sibi decretam sunt ingressi, si demum fuerint capitulo Ecclesiae maioris, & senatus vrbis, ostensis litteris delegationis, quibus creati sunt Inquisitores, alterum quod proxime illis agendum inueniunt, est, conuocare clericum, & populum, ut certo die, festo conueniant in maiorem Ecclesiam, ut illuc sermo de fide catholica habeatur, & potestas, & iurisdictio Inquisitorum declaratur, & quam ob rem missi sint publice intelligatur. c. ut commissi. s. aduocandi. c. ut officium. s. compescendi. de haeret. lib. sexto, quod praescripsit luculenter Concilium Biterrense, c. 1. in haec verba: Atque ibi conuocatis clero, & populo, & proposito verbo Dei, mandatum vobis factum, & aduocatus vestri causam, lectis litteris quarum auctoritate procedere habetis, sicut oportere noueritis, exponatis, haec ibi. In his omnibus qualis ordo obseruari debeat, singillatim ostendit Eymericus, traditque Simancas de catho. instit. 44. nu. 2. & copiose Tabienensis in sum. verbo, Inquisitor. s. 10. nu. 11.

Illud praeterea solet in multis locis obseruari, ut finito sermone de fide catholica, omnes simul coram Cruce ac libro Euangelicorum inueiurando promittant se praestatueros fauorem, auxilium, & consilium sanctae Inquisitioni, eiusque ministris, & quod nullo modo directe vel indirecte eos impediant: quod iuramentum in specie praestare debent ciuitatis magistratus, ad quod praestadium eos posset compellere Inquisitor: quod & faciet si viderit expedire, alias ne quid noui, & inusitati moliantur, quod vel minimum obesse possit in hac causa, in omnibus laudabilem eius ciuitatis consuetudinem sequatur, ut etiam monuit Tabienensis in summa, verbosus Inquisitor. s. 10. nu. 11.

Quibus diebus Inquisitor faciet legi publice alta voce, & cat. litteras admonitorias tenoris sequentis. ] Hoc est in ordine tertium, quod Inquisitor obseruare debet finita concione de fide, & praestito iuramento: ut scilicet litterae monitoriae praescriptae legantur aduersus cunctos rebelles, monesturque totius confluentis populi multitudo, ut omnes haereticos, & haereticorum complices, aut quos sciunt de haeresi suspectos, vel infamatos, reuelent, quod pereleganter etiam praescripsit Concilium Biterrense, c. 1. in haec verba: Ac deinde, scilicet post finitum sermonem de fide, & declaratam iurisditionem Inquisitorum, & aduentus causam mandetis, ut omnes qui se vel alios sciuerint in crimine labis haereticae deliquisse, compareant coram vobis veritatem dicturi.

Quatenus infra sex dies proxime computandos, &c. ] taxare hoc tempus in arbitrio Inquisitorum positum est, & propter praesentes, breue tempus sufficit, cum illi statim aut seiplos, aut alios deserere possint: absentes vero vbi accesserint ad ciuitatem, illud ipsum tempus initio constitutum habent, & tunc illis incipit currere.

Secundum quod habet facere Inquisitor est indulgentias promulgare, dicendo. ] De indulgentiis, quas tam Inquisitores, quam eorum ministri, & ceteri

eteri qui prestant in causa fidei consiliū, auxiliū  
vel fauorem consequuntur, multa extant Pontificū  
rescripta, agitque plene Eymericus 3. par. q. 227. et  
seq. & nos ibidem late.

Tertium quod habet facere Inquisitor, est  
tempus assignare gratia. *Hoc ita nunc peragitur:*  
edita publica proponuntur, & publicis locis assignā  
tur, vt in notitiā omnium facilius perueniāt. Ta  
bientis verbo, Inquisitor, §. 10. nu. 11.

Item assignare plures vel pauciores dies in hoc  
edito, arbitrarium est: & mensem vnum, quadra  
ginta vel plures dies concedere potest Inquisitor.  
Simancas de catho. instit. tit. 44. nu. 3.

Sed animaduertat oportet hoc loco Inquisitores  
ne fallantur, putantes liberum sibi esse cōcedere hoc  
tempus gratiæ, quoties accedunt ad diocesim sibi  
decretam, in qua per alios Inquisitores fieri solita  
est contra hereticos inquisitio, quoniam huiusmo  
di gratiæ tempus assignare tunc possunt cum mittū  
tur ad ciuitatem siue diocesim, in qua de nouo cōsti  
tuuntur Inquisitores, quemadmodum singulariter  
docet prima quedam instructio Hispanen. anni Do  
mini MCCCCLXXXIII. c. 1. 2. & 3. nam cum in

c. 3. de hoc tempore gratiæ constituendo ageretur,  
c. 1. statuerat quando id esset concedendū in hac ver  
ba à nobis vtrumque latine edita; Primum prædi  
cti domini Inquisitores & consultores dixerūt,  
vt quotiescunque fuerint de nouo constituti In  
quisitores in aliqua diocesi, ciuitate, aut oppido  
vel quolibet alio districtu, vbi hactenus non fuit  
facta inquisitio super delicto hereticæ prauitatis  
& apostasiæ. & infra. Et postquam nonnulla de  
eorum ingressu in dicto c. 1. & 2. dixisset, continen  
ter in c. 3. agitur de hoc tempore gratiæ constituen  
do, seu promittendo quare si verbi gratia Inquisito  
re Bononiensi vita sumpto, vel amoto alius ad eam  
ciuitatem destinaretur, is nō posset nec deberet hoc  
tempus gratiæ assignare sicut prædiximus: secus au  
tem esset si in literis delegationis talis sibi cōcede  
retur per Romanum Pontificem facultas, quam in  
terdum indulgere solet ob causas æquas & rationi  
consonas, quas pium principis animum mouere pos  
sunt. Atque inxta hæc quæ diximus intelligēda est  
doctrina & praxis EymERICI hoc loco, sicut etiam  
apparet ex Simancas, de catho. instit. tit. 44. de ordi  
ne procedendi. nu. 1. & seq. & clarius ex Arnaldo  
Albertino in repetitione c. 1. de heret. li. 6. q. 12.  
num. 4. vers. Et quod dixi supra, & ex ipsomet Eym  
erico in principio huius 3. partis, tit. 1. quo loco  
dicit ita: Vbi considerandum est, quod quando  
Inquisitor est a domino nostro Papa, vel ab alio  
eius vice, de nouo institutus in aliquibus regnis  
vel terris, hæc ille, & serios totius ordinis & dispu  
tationis id potissimum respicit, se quo proxime dixi  
mus quod ipsum etiam ex Concilio Biterrensi c. 1.  
& 2. non obscure colligitur.

Infra quod tempus gratiæ si libere, & spon  
tanea voluntate ad me venerint, &c. Qui dicant  
tar sponte venire, eleganter docuit Guido Fulcodius  
in consultantiombus ad Inquisitoris, quaest. 2. quā  
quam singulararem habet cruditionem, & multam lu  
cem huic loco afferi, referre placuit: ea ita habet:  
Quoniam illis, qui sponte redeunt ante tempus

A gratiæ promittitur & obseruatur impunitas, mor  
tis videlicet, carceris & confiscationis, quod fieri  
posse credo iuxta mandatum Papæ, & Conciliū

Tholosanum, & queritur hic qui sponte redire di  
cantur? Sponte igitur iudicio meo redeunt, qui  
infra tempus gratiæ redeunt, licet in generali sint  
moniti, nec enim coacti videntur, quia a nemi  
ne sunt præuenti, & facit bene ad hanc materiā  
ff. ad Tertullian. l. 2. §. si mater, cum sequentib.  
verfculis. Certe post tempus gratiæ, si res est in  
tegra, hoc est, quia non est personaliter inquisi  
tus, nec probationes contra eum receptæ, quod  
credo verum per legem, ff. de optio. legata. l. mā  
cipiorum: nam si post tempus gratiæ personaliter  
requiritur, & auditur, quamuis errorem suū  
delegat, indignus est venia, & sic sonāt ea nō in  
suo casu. 24. dist. c. vlt. quod autē tempus hoc re  
cte præfigatur, non est in dubium ab aliquo re  
uocatum: & possent ex vtroque iure multa indu  
ci simili: sed nimis est a materia alienum: spon  
te ergo venit, qui non venit admonitus nomina  
tim: & colligitur hæc distinctio C. de his q. lateo  
nes occult. l. vlt. in illo verfculo, Domini, &c. ha  
Etenus Guido Fulcodius, quæ penitus sequitur Ar  
chidiaconus, & Joā. An. in c. vt commissi, de hæ  
ret. lib. 6. idem penitus rescripserunt periti Auinio  
nenses responso quodā super varijs dubijs circa in  
quisitionē, edito anno Domini MCCXXXV. quod  
est in vetusto illo codice bibliothecæ Vaticanæ.

C Magnam veniam & misericordiam conse  
quentur. Et ratio est, quoniam mitius est agendū  
cum sponte confessis, quam cum conuictis, c. presby  
terum. 50. dist. glossa communiter recepta in c. de  
hoc verbo, in iure. extra de simonia. vbi Hostiensis,  
& ibi Panormitanus nu. 6. Sed hic Eymericus non  
expressit quam gratiam consequantur sponte venien  
tes, nec quod ego legerim est aliquo iure communi  
cautum, eam tamen nominatim docuit Conciliū Bi  
terrense cap. 2. in hæc verba: Ac deinde mandatis  
vt omnes qui se vel alios leuerint in crimine la  
bis hereticæ deliquisse, compareāt coram vobis  
veritate dicturi: Assignato eis termino compe  
tenti, quod tempus gratiæ vocare soletis; quibus  
tamen alias huiusmodi gratia non est facta: in  
fra quem terminum venientes, penitentes, & di  
cētes plenam de se ac de alijs veritatem, habeāt  
impunitatem mortis, immutationis, exilij, & con  
fiscationis bonorum. hæc ibi. Quod in Hispania no  
stra cautum etiam refert Simancas de catho. insti  
tu. tit. 44. nu. 3. in instructione quadam Hispaniensi pri  
ma, cap. 3. & 7.

D Non tamen sponte venientes euitabunt omnem  
penam, sed pro qualitate personarum & criminū,  
arbitrio Inquisitorum benigne tractabuntur, aut pe  
nam aliquam pecuniariam soluentes, aut elemosy  
nas erogantes, aut alia huiusmodi charitatis ope  
ra prestantes.

Id quoque diligenter est animaduertendum, hu  
ius promissæ gratiæ beneficium collatum sponte ve  
nitibus, non tribui illis, quibus alias huiusmo  
di gratia iam facta fuit, vt præcitatum conciliū do  
cet, nihilominus tamē ijs etiā, quibus alias hoc be  
neficiū est tributum, aliquid est condonandum.

sed

† Concilium  
Biterrense, le  
gendum cre  
dere, in quo  
hæc immuai  
tas præstat  
sponte venie  
tibus, cap. 2.

Sponte ve  
nientes quam  
gratiā conse  
quantur, res  
citu digna.

An relapsus  
sponte veniens  
tibus sit par-  
cendum, gra-  
uis & vtilis  
quæstio.

Sed quid si relapsus a nemine ad hoc deprehensus sponte veniat, ac errorem plene confiteatur, lachrymisque misericordiam imploret; erit ne sibi mortis pena remittenda, ita ut non tradatur curiæ seculari? grauiissima est plane quæstio, quæ fortassis longiore oratione egeret: breuiter tamen quid sentiam meo more explicabo; ac penam quidem mortis condonandam omnino censeo. Primum, quia in hoc cessat sinistra illa suspicio, qua relapsi putantur fide conuersi, cum seipsum penitendo deserat, & veniam postulet. Rursum, quoniam is non est censendus incorrigibilis, qui sponte crimen fatetur, & errati veniam deprecatur. Preterea nullus potest vere dici relapsus, nisi qui bis de hæresi conuincitur, qui vero crimen fatetur, non videtur secundo conuictus. Postremo, Concilium Biterrense paulo antea relatum hoc videtur sentire dum ait, Sponte venientibus impunitatem mortis esse concedendam. Quæ verba nullo modo possunt in hoc crimine competere nisi relapsis. Nam quicumque alius delinquens sponte conuersus, quamuis grauiissime deliquerit, mortis penam emittat; & propterea concilium de illis videtur loqui, qui si fuissent conuicti, mortis supplicio essent plerumque relinquitur ergo relapsos sponte venientes penam mortis effugere.

Quando sint  
admittendi re-  
lapsi sponte  
uenientes.

Atque hæc sententia benignior est, ut ait Hostiensis in c. ad abolendam. §. illos, in verbis, sine ulla audientia, & verbo, audientia, de hæret. ubi videtur in hanc partem inclinare, quam amplectuntur Ioan. Lupus Decanus Segouienensis tract. de hæret. quem refert & sequitur Montanus in legibus septipartitis. l. 1. tit. 26. par. 7. quæstio. 6. vers. est tamen conclusio. & Albertinus in lib. de agnos. asser. q. 25. nu. 25. & Alfonsus Cast. lib. 2. c. 2. de ista hæret. puni. quibus omnino censeo subscribendum; dummodo (quod illi etiam adnotant) peccatum huius relapsi sponte venientis sit occultum.

Contrarium videtur tenere Simancas de cath. in tit. 47. nu. 21. & seq. sed nostra sententia benignior est, illud certe verum est, huic homini acriorem penitentiam esse iniungendam.

Quia tamen nullo expresso iure cautum esse videtur, ut huiusmodi relapsi parcat, propterea cum talis casus occurreret, tutissimum esset, ut priuati Inquisitores supremum Senatum sanctæ Inquisitionis consulant, & id circa tales relapsos exequantur, quod Senatus causa cognita decerneret.

Qui non veniunt  
sponte,  
aut post tem-  
pus gratiæ,  
qualiter puniendi.

Ceteri autem qui vel sponte non veniunt, vel post tempus gratiæ veniunt, si hæretici aut credentes fuerint, in perpetuum carcerem sunt detrahendi, nisi eorum tanta fuerit multitudo, ut commode fieri non possit: quod eleganter docet Concilium Narbonense c. 9. in hæc verba: De hæreticis autem seu creditibus præfata immunitate (quia veritatem de se vel de alijs suppresserunt, vel quia infra tempus indulgentiæ non venerunt, seu alias indignis paratis tamen absolute mandatis Ecclesiæ obedire, & recognoscere quam vel suppresserant, vel negauerant veritatem: quamuis tales proculdubio sint secundum statuta domini Papæ in perpetuum carcerem detrahendi: quia tamen intelleximus vos de his tantum in pluribus partibus multitudinem inuenisse, ut nedum expensæ, sed uix etiam

lapides aut cæmæta sufficere possint ad carceres construendos: consulimus, ut eorum immutationes, ubi expedite uidebitur, differatis, donec ipse dominus Papa de illorum multitudine plenius sit consultus: nisi forte aliqui essent tam facinorosi, ut de ipsorum impenitentia, vel fuga, vel relapsu, vel corruptione seu turbatione aliorum nimis timeretur: tales enim sine ulla prolixâ dilatione firmo & perpetuo carceri deputetis. hæc ibi.

Postremo illud quæsitum est; An qui metu probationum sponte crimina confiteatur, mitius puniri debeat, an potius ordinaria pena sit coercendus; et glossæ in c. presbyteri. 50. distin. & in c. de hoc. extra de simonia, ordinariā penam imponendam arbitrantur, sed benignior est Hostiensis. Sententia in dicto c. de hoc, assensentis etiam hoc casu mitius agendum esse. Quarta autem pars remitti debeat, arbitrio iudicantis relinquatur.

Et metu probationis confiteri quis dicitur, quando iam vocatus erat ad iudiciū; unde è diverso spore confessus appellatur, cum nullo præcedente stimulo iudicem adit, & crimine confiteatur, ut in dicto c. de hoc, de simo. optime docuit Panor. atque hæc omnia sunt diligenter obseruanda, ut pena nunc grauior, nunc remissior imponatur.

Illi vero qui post tempus gratiæ sponte veniunt, etiam mitius sunt puniendi, quamuis non consequantur tantam indulgentiam, ut prudentissime obseruatur hoc loco Emericus ibidem tempus gratiæ trahere permiserint, tantæ gratiæ non erunt digni.

Quot autem modis seu temporibus reuerti quis possit, secundum que aut facile recipietur, & sibi penæ remittentur, aut contra non recipietur, eleganter et copiose docet Arnaldus Albertinus in reputatione c. quoniam, de hæret. lib. 6. q. 12. & Simancas de cath. in tit. 47. nu. 27. & multis seq.

Attendant tamen Inquisitores, &c. nam si voluerint detegere tantum in foro penitentiali, &c. Inquisitor Pulcherrimum est, & valde utile hoc documentum, & omnino in hoc tribunali obseruandum, ut etiam ad moment Campegus ad Zanchinum c. 34. vers. considerent etiam Inquisitores, & Locutus in opere iudiciali verbo, absolueret, nu. 7. Cetera documenta, quæ circa confessionem sacramentalem reorum in hoc tribunali obseruare oportet, tradidi supra in hac 2. p. super Concilio Tarraconensi.

Et tunc si totaliter est secretum, non procedat ad iudicalem confessionem recipiendam, sed secreta absoluat eum, &c. Non est contemnendum hoc Emerici consilium, sed non videtur tutius, quoniam si hoc ita fiat, ferme eadem incommoda conueniant, que ipse paulo antea commemorauit, dum monuit, ne Inquisitores audiant sacras confessiones; quare tutius semper erit persuadere sponte venientibus, ut iudicialiter confiteantur crimina sua, hoc documentum est, notario eorum confessionem recipiente coram Inquisitore dicant peccatum suum, inde secreta recõciliatione facta, mox absoluat eum, ac ne de hac quidem facti specie accipiendum mihi videtur id quod sancit Clemens 11. rescripto incipiente; Cui sicut. §. vobis etiam, quod est in bullario litterarum Apostolicarum in fine huius operis, de quo alibi dicemus copiosius.